



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola LIII. Gregorii Papae I. Ad Anthemivm Svbdiaconvm. Scribit de  
oppressione Gaudiosi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## EPISTOLA LIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD ANTHEMIVM SVBDIACONVM.

Scribit de oppressione Gaudiosi.

*Gregorius Anthemio subdiacono.*

**N**ON solum frequentibus præceptionibus, sed etiam præsentem te sæpius monuisse me memini, vt illic vice nostra, non tantum pro vtilitatibus ecclesiasticis, quantum pro subleuandis pauperum necessitatibus fungere-  
ris, & eos magis cuiuslibet oppressionibus vindicares. Præsentium ergo lator Gaudiosus insinuauit nobis ab auctoribus sanctæ Romanæ, cui Deo auctore præsidemus, ecclesiæ, sibi violentiam irrogari, afferens quod filios suos iuri prædictæ ecclesiæ velint vindicare. Oblatis etenim ab eo documentis, agnouimus Sircam vxorem præsentium portitoris ab Ecia quondam glorioſæ memoriarum, Morenam cuidam feminæ, titulo donationis fuisse largitam, & ab eodem Morena per epistolam manumissam: & ideo indecens esse credimus, vt progeniti ex libera muliere filii ad seruitium retrahantur. Propterea experientia tuæ præ-  
fenti auctoritate præcipimus, vt his ipsis documentis, sicut & nos didicimus exuto a curis animo diligenter intendat, quatenus si documenta nulla sunt ab ecclesiæ parte, quæ documentis huius hominis debeant obuiare, ab eius se molestia sine aliqua retractatione suspendat. Durum enim est, vt si alii pro mercede sua libertates tribuunt, ab ecclesia quam tueri has oportuerat, reuocentur. Iterum ergo atque iterum experientiam tuam necessario submo-  
nemus, vt illic, si quæ inter pauperes & Romanam eccle-  
siam sanctam quæstiones vertuntur, omni mentis inte-  
gritate discutiat, sicque patrimoniales vtilitates peragat, vt a benignitate iustitiae non recedat.

Iuop. 16.  
cap. 73.